

potuit à Gehazi, quàm perspicax sit Spiritus Prophetæ in detegendis dolis & fallaciis: & nonnè parem Spiritum agnoscit ille in Apostolis? Quidquid erat, quòd eum ad amentiam excæcavit, aut ad audaciam obduravit, sit ille tremendum in omnia sæcula monumentum indignationis divinæ ob contemptum & vilificationem Spiritus Sancti. Quem si in corde suo non blasphemiam asperfit, heu quantillum à tali crimine abfuit. Tantum possunt avaritia & hypocrisis.

Qualis fuerit hic *Ananias* quoad gradum & ordinem, inscrutabile. Suspiciosum, quòd non fuerit de mera plebe sed gradus alicujus dignioris, ex eo quòd mentio ejus incidat cum mentione *Barnabæ*, & plura sunt, quæ aliqualiter svadent. Quid enim obstat, quò minus supponatur, fuisse eum de numero eorum, in quos effusus est Spiritus Sanctus? & qualis fuit Judas inter duodecim, talem fuisse eum, inter centum & viginti? Dotatum donis Spiritus Sancti, at Diabolum?

Nam phrasiologia *ψεύσασθε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*, videtur aliquid aliud velle quàm *ψεύσασθε τῷ ἁγίῳ πνεύματι*. Idem forte quod *הוֹרִיחוּ* *Falsificare Spiritum Sanctum, & mendacem eum reddere.*

VERS. 3. *Εἶπε ὁ Πέτρος, &c.*

Sive authoritatem sumpserit Petrus, scelestum hunc morte ferendi, à verbis istis Domini: *Quorum peccata retinueritis, retinentur*, Joh. 21. sive ab immediatâ aliquâ revelatione, sive utrumque, nobile indicium exhibet pœnitentiæ suæ, & restauratæ post lapsum stationis, cum ille, qui mendacio, imò & perjurio Dominum suum abnegaverat, ob mendacium tam severè punit alterum.

VERS. 6. *Συνέσειλαν αὐτόν.*

Non habentes *תכריכין* vestimenta sepulchralia in promptu, mortuum contrahunt & succingunt eò quòd possunt modò, atque è loco isto elatum terræ mandant.

VERS. 7. *ὡς ὥρων τριῶν διάστημα.*

Tantum temporis spatium, funerationi hominis insumptum, in-